13 Julij tu 1622.

551 91

Illustrissime Domine Comes

Dum eramus in expectatione Illustritatem Vestram repudiates Nostris conditiones alias, quas ipsa tundi caret equiores propositura ut quantum dissideremus perspicere possemus penitus, Ecce Generosus Dominus Magnus Ernestus Denhoff et hesterna vespera et die hodierno vocato in suum colloquium Generoso Domino Hermano Wrangiel Campi Marschales apud Eundem sollicite instat, ut arma inter Nos tandiu suspendatur donec Ordines Magni Ducatus Litvaniæ Illustritatem Vestram de sua voluntate ac animo certiorem reddiderint, Quanquam vero hæc armorum suspensio Sacræ Regiæ Maiestati Domino meo Clementissimo ad bellum parato et huc usque progresso haud immerito suspecta est. Tamen ut Orbis terrarum ac imprimis Vestra Illustritas videat Sacram ipsius Regiam Maiestatem Suen bello salutem etiam unius militis ipsi victoriæ preferre nec ulla occasio amicitiæ firmandæ etiam cum periculis conviunctæ pretermittatur, Jussit Nos Illustritati Vestræ significare Sacram Regiam Maiestatem non esse alienam ab armorum suspensione paucorum dierum, si modo spes sit, et hanc syncere servatum iri et ab Ordinibus Magni Ducatus Litvaniæ resolutionem iustis, honestisque et fidis Inducijs accomodatum brevi venturam. Ceteraque si illa Generosus Dominus Denhoff ex sensu Illustritatis Vestræ proposuit, Vobisque animus sit quod captum est, induciarum Negotium urgere Omniaq tentare quæ sopiendo bello renovandæque amicitiæ inservire possunt, Non videtur Nobis absque si Nobiscum de novo in colloquium veniret, Ita enim et de armorum suspensione alter alteri cavere et de conditionibus Induciarum deque earum et æquitate et iniquitate commodius conferre declarataque cuiusque Partis voluntate animos in futurum de amicitiæ tractatum disponere possemus, Advenit ex Nostra Parte una Nobiscum Illustris Dominus Cancellarius Regni qui vocatus à Sacra Regia Maiestate his ipsis diebus in Castra venit, Quod si igitur Illustritati Vestræ placuerit Nobiscum de hisce in familiare colloquium descendere, videtur Nobis commodissimum uti in Castris die, qui dominicus est, hora prima pomeridiana loco et comitatu, quo proximo in conventu usi sumus, congrediamur, eoque Nomine Illustritati Vestræ ipsius comitatui sub fide militari, ac hisce Literis cavemus, nihil in illos ex hac parte hostile aut inimicum perpetratum iri isto congressu Sed illæsos ituros

Scrips. Iran Maciewski

itums redituros que promittimus non dubitamus, quin et Vestra Illustritas Nobis ac Nostratibus caveat, Nosque de sua Mente ac Sententia cum hoc Nostro Tabicione quantocius informet, ut quid inter Nos futurum sit tanto certius statuamus. Datum e Castris die Decima Tertia Julij Millesimo Septingentesimo Vigesimo Secundo.